



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

124 Indulgentiae gratis à Sede Apostolica accipiuntur. Ideo gratis  
impartiendae. Gratia Dei pretio non vendenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

ijdem regulares etiam nullo cum Ordinaris verbo facto, publicare, ut in *decis. super eodem capit. 9. quæ incipit Indulgentias.*

120 † Revocata enim sunt omnes indulgentiæ concessæ pro porrigentibus manus adiutrices, concil. Tridentin. in *decis. de Indulg. sess. 25. & Pius V. in constit. de qua in Bullar. Rom. capit. 30. sub S. nos qui Deo.*

121 Quia † non conceduntur indulgentiæ pro pecuniis extorquendis, sed, ut fideles in pijs operibus Christi exerceantur, & ut aliorum liberalitate miserorum inopiæ succurreretur, Cardin. Bellarm. *de Indulg. lib. 2. c. 9. §. 4. tom. 3.*

Hinc illud resolvitur, quo quæritur, an habentes facultatem aggregandi, seu uniendo confraternitates in dictis civitatibus, & oppidis, (dummodo oppida, seu castra, in quibus huiusmodi aggregationes, seu erectiones fieri contingeret, spacio duorum, vel trium millium passuum distent) si forte fiant in his locis præcipue, in quibus nulla adsint monasteria ejusdem Ordinis aggregantis, possint loco illius elemosynæ, quæ ab incolis oppidi, seu castri, cui aggregatio non conceditur, & quandoque à pijs devotisque viris illuc devotionis causa confluentibus monasterio offerri contingeret, uti matriæ ecclesiæ, aliquid singulis annis in signum recognitionis exigere, & de pecunia, vel alia re huiusmodi eidem matriæ annis singulis ab aggregatis offerenda in erectione, seu aggregatione pacisci, & videtur affirmativè respondendum.

122 Quia matriæ † ecclesiæ per inferiores, & ab ea dependentes aliquid offerre, non solum non est prohibitum, quinimò est de

jure concessum, & cap. venerabili ubi etiam gloss. & Abb. d. verb. signif. Tamen ab ecclesiis matriæ, ut sunt metropolitanae cathedrales, Baptismales, & alia similes ad aggregationes confraternitatum, seu erectiones capellaniarum pro Indulg. consequendis, non benè inferitur, quia Pius † Papa V. omnes indulgentias pro porrigentibus manus adiutrices, & continentes, quomodolibet facultatem quæstuandi concessas, revocavit, ut *infra.* Conceduntur enim à Sede Apostolica † facultates aggregandi, & indulgentiæ huiusmodi gratis, & gratis illas accipientes, gratis dare debent, *Matth. c. 10. & cap. quicquid. 1. qu. 1.* Gratia enim Dei non venditur, sed donatur, S. Joann. Chrysost. in *Marc. Homil. 13.*

125 Non enim hi coelestes † Ecclesiæ thesauri ad quæstum, sed ad pietatem exercendam conceduntur, concil. Trident. in *c. 9. de reform. sess. 21. & Card. Bellarm. de Indulg. lib. 2. c. 9. §. 4. tom. 3.* Unde idem Pius V. quamplurimis querelis ex diversis mundi partibus ad ejus auditum perlati, quod vigore diversarum indulgentiarum alias concessarum, plures abusus irreperint in præjudicium animarum, ad illos eradicandos, motu proprio suam perpetuè valituram edidit constitutionem tenoris *infra scripti:*

126 Pius † Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Et si Dominici gregis salutem semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere nos, & prædecessores nostri studuerunt, per quæ peccatorum mole deposita, salus ipsis succedat, & hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciant. Altissimo, qui eas nobis

¶ h h h sua